

ruat. Imò tam effera nonnunquam hæc est febris, ut optima etiam bezoardica respuat, nisi prius vesicatoriis hinc indè adplicatis ventilatio instituatur. Hoc testatur juramentò *Job. Dan. Horstius dec. epist. med. epist. 10.* cum Giesæ prolixè grassarentur tales febres. Confirmat etiam usum hunc *Job. Petrus Laticlus obs. med. lib. 1. c. 7. obs. 15.* & quotidiana experientia, quicquid etiam opponat *Rodericus à Fonseca l. 2. consult. medic. conf. 31.*

In pestilentialibus febribus vesicantia temerariè adplicari non debent, sed tunc, cum lethargus aut comatosi adfectus superveniunt, ait *Sept. lib. 5. caut. 44.* & cum externa algent, interna verò æstuant; & in delirio cum stupore & somnolentiâ conjuncto, cervici, brachiis tibiisque admovenda juxta *Riverium l. c.*

In peste ipsâ tum præservandâ, tum curandâ, mirum in modum eadem commendat *Heurnius de feb. pestilent. c. 19.* quòd virus ad ignobiles partes citra virium jacturam proleat, & juxta *Villis. de feb. cap. 13.* foràs æstuosum incendium venenûmque educant. Ut virulenti humores ad inferna à principibus partibus retrahantur, adplicat *Septal. l. c. cap. 42.* extremis partibus, potissimûmque suris.

Inuri commodissimè possunt ad autorum mentem manibus, cruribus, coxis, femoribus, suris, quò materia venenosa à corde revellatur, & ratione derivationis progrediente jam malò ponè aures, humeris, scapulis, futuræ coronali.

Ubi malignitas maxima totum corpus occupaverit, symptomatumque vehementia urgeat, variis in locis vesicantia simul adplicanda sunt. Sic *Riverius* quinque admovet *prax. med. lib. 17. cap. 1.* & probat harum usum ex *Galenò 5. meth. med. c. 12.* omnes evasisse, inquitente, quibus exulcerationes variis in partibus factæ sunt. Imò, sunt medici, qui peste jam infectis ultimum remedium existiment cantharidum adplicationem, complurésque hóc mediò, potentique medicamenti efficaciam, veneni pestiferi vi à cordis arce avulsâ, pristinae sanitati restitutos, ceu notat *Arhanasius Kircherus, vir propter merita in rem literariam singularia merito illustris, in scrutiniò pestis sect. 3.* Vesicatorium enim potentius setone & foniculo attrahere, magisque revellere, quàm evacuare, *Th. Fierus l. c.* confirmat.

Tumore seu bubone pestilentiali prodeunte, conveniens quoque horum